


**05**

**A**

**1918**











2

I. N. J.

ANNOTATA  
AD DANIELEM.

Disputatio  
Publica,  
Respondens  
M. CASPA  
Schön/  
Eperienfi  
Hungaro.

CAPIT VII.

Perl.

Vers. 2. ET ECCE QUATUOR VENTI COELI.

*Ingentis tempestatis descriptio. Per tempestatem a. bel-  
la intellige.*

IN MARI MAGNO.

*Id est, non in lacu aliquo, qualis Asphaltites & Genezere-  
thanus, quæ maria vocant accolæ: sed in mari illo, quod Syri-  
am, Ægyptum, Judæam alluit. Per mare populos intel-  
lige, ut Apoc. XVII. 15.*

**R**ectè hæc exposuit B. Gesnerus Disp. VII. 17. 27. Per ven-  
tos Theodoretus, & alij *seditiones*, & *tumultus* intelligunt,  
eo quod ortum omnium regnorum & imperiorum ma-  
gnæ turbæ antecesserunt, sed cum venti mare commove-  
ant, quæ commotio turbarum & seditionum symbolum est: Ideo  
venti, qui eam efficiunt, non possunt ipsam denotare. Nam ut *ven-  
ti & fluctus* sive *procella* immissæ differunt, tanquam *causa & effe-  
ctus* Matth. II. X. Ita necesse est, ut *causa turbarum* per *ventos*  
adumbrata sit. Commodissimum proinde est, ut per ventos  
intelligamus *diabolos*, & eorum *instrumenta* impios homines, quo-  
rum studiis & machinationibus motus, bella, & seditiones in Impe-  
riis concitantur. Unde etiam peccata prorumpunt, propter quæ  
regnum de gente in gentem transfertur. Sicut *Synoides* cap. X.  
ait: *Regnum à gente unâ ad alteram traducitur propter injustè facta,  
& contumelias & divitias injuste partas.* Hæc certè à Diabolo sunt,  
H & pro-





& proprio impiorum arbitrio. Et simile est illud, quod Apoc. VI. apparet *equus igneus*, cui datur potestas auferendi pacem de terrâ. Quamobrem apparitionem *quatuor animalium* antecessit *maris vehemens commotio*, quæ nihil aliud, quàm turbatio Reipubl. à Diabolo invec̃ta. Per *mare magnum* nihil aliud hic significatur, quam *imago multarum aquarum*, seu ingentis alicujus maris, quæ notat genus humanum. Sicut etiam in Apocalypsi cap. XVII. dicit angelus: *Aquæ quas vidisti, sunt populi, & turbæ, & gentes, & lingua.* Has itaq; *venti*, id est, *Diaboli* turbant, & ex illis turbis nova regna emergunt.

Verf. 3. ET QUATUOR BESTIÆ GRANDES.

*Ideo bestie, quia idololatrica erant imperia, ut notat hic Jacbiades. Aspicit hoc Propheta, quod non videbat Nabuchodonosor. Vide dicta supra II. 31.*

ASCENDEBANT DE MARI.

*A populis quisque suis magnam vim nacti, in alios ferebantur.*

DIVERSÆ INTER SE.

*Quæ diversitas in sequentibus explicatur.*

Verf. 4.

PRIMA ERAT QUASI LEÆNA.

*Quasi Leo. Regnum Babylonicum sub Nabuchodonosore forte & sævum: unde Nabuchodonosor leo dicitur etiam Jerem. IV. 7.*

ET ALAS HABEBAT AQUILÆ.

*Celerrimè sub illo movebatur: velocius aquilis. Jerem. IV. 13. Undè & Aquila comparatur. Jerem. XLVIII. 40.*

ASPICIEBAM DONEC AVULSÆ SUNT ALÆ EJUS.

*Tardati cursus ejus imperij sub Evilmeroduco, Negligasorsoro, Laboroso archodo.*

ET SUBLATA EST DE TERRA.

*Verte, per quas efferebatur supra terram. Sæpè enim Chaldeis ut & Hebrais, copula vim habet relativi.*

ET



## ET COR HOMINIS DATUM EST EI.

*Cognitio veri Dei data Nabonnedo. Supra VI. 20. Ideo Deus, cum vellet destruere Babylonem, ipsi tamen pepercit.*

Figura hæc prima Monarchia, etsi Nebucadnezari & successoribus rectè accommodetur, non tamen excludendi priores Monarchæ. Leonis ergò Symbolum prima Monarchia gerit, ob generosos, & Heroica magnitudine præditos Monarchas, quod de Nimrodo etiam, Nino, ac Semiramide, quæ etsi fœmina, viros virtute ante ivit, Justino, & Curtio teste, alijsq; intelligi potest. *Supra terram elati* dicuntur, quod ob fastum velut in aëre volitarint, ac divinos etiam affectarint honores, ut de Sennacheribo Esa. XXXVII. 17. Nabuchodonosare Dan. III. IV. Belsazare Dan. V. constat. *Super pedes steterunt, & cor hominis datum eis est*, quod cor illud leoninum exemptum ipsis, quodq; sortem humanam experti sint, uti de Sannacheribo monumentum commemoratur, post insignem illam cladem cum hæc ἐπιγυραφῆ exstructum. εἰς ἐμὲ ἴσ' ὀρεῖων ὁσέβης ἔγω. Vid. Herodot. l. II. De Nebucadnezare, postquam ad se rediisset videatur Dan. IV. 29. De Belsazari humiliatione Dan. V. Non ergò ad solum Nabonnedum vel Darium hæc restringenda. B. Gesnerus ita de his Disput. VII. th. 47. *Cum antea in aëre volitarent, & super omnia regna mundi eminerent, postea Assyrios ut alios principes humi incedere, & humana conditione contentos esse oportuit, datumq; illis est cor humanum, quod est pavidum Jerem. XVII. Cor verò leoninâ ferociâ & aquilinâ celeritate præditum penitus illis ademptum fuit.* Hieronymus ita de hæc primâ bestia. *Regnum Babylonicum propter sevitiam & crudelitatem, sive propter luxuriam & vitam libidini servientem, non leo, sed Leana appellatur. Ajunt enim hi, qui de bestiarum scripsere naturis, leanas esse ferociores, maxime si catulos nutriant, & semper gestire ad coitum. Quod autem habebat alas aquilæ, superbiam significat regni potentissimi: cujus princeps loquitur per Esaiam, super sydera cœli ponam thronum meum, & ero similis altissimo. Unde dicitur ad eum: Si alte feratur ut aquila, inde detraham. Alioquin ut leo inter bestias, ita aquila inter aves regnum tenet. Sed & hoc dicendum, aquilam multo tempore vivere, & regnum Assyriorum multis atatibus fuisse dominatum.*



*natam.* Quod autem evulsæ sunt alæ ejus, id est, leænæ, sive aquilæ, cætera regna significat: quibus prius imperabat & volitabat in mundo. Et sublata est, inquit, de terrâ: subverso videlicet imperio Chaldeorum. Quodq; sequitur: Et super pedes, quasi homo stetit, & cor ejus datum est ei: Si de Nabuchodonosor intelligimus, perspicuum est, quod postquam perdidit regnum, & potentia ejus ablata est, rursus in pristinum statum restitutus sit, & non Leenam, sed hominem se esse didicerit, & cor receperit, quod amiserat. Sin autem generaliter de regno Chaldeorum, hoc sentiendum est, quod interfecto Baltasar & Medis, Persisq; imperio succedentibus, Babylonij homines & humilis fragilisq; natura se esse intellexerint.

Verf. 5.

ET ECCE BESTIA ALIA SIMILIS URSO

*Ursus ζῷον τῶν ἀμφοτέρων* ait Aristoteles VIII 5. Sic Medo persaraptores magni, prædones Jerem. LI. 48. 56. Ursus secundum Persas hostem significat opulentum, ait Achmetes.

IN PARTE STETIT

*In Chaldæo: Stetit ad latus unum: id est, seorsim, nempe à Judæa. sensus est: nihil nocuit: Quomodo Hieronymus hic optimè interpretatur secutus Hebræos, ut ipse dicit.*

ET TRES ORDINES ERANT IN ORE EJUS, ET IN DENTIBUS EJUS:

*In Chaldæo: & tres costæ erant in ore ejus inter dentes. Hæ tres costæ sunt Imperium Persicum, Medicum & Chaldaicum. Costæ vires hominis significant, Achmetes XII.*

ET SIC DICEBANT EI.

*Sic dicebatur.*

SURGE, COMEDE CARNES PLURIMAS

*Nam ursus libenter σαρκοφάγος; Aristoteles dicto loco. Per tres dentes intelligunt tres insignes ac præcipuos Reges Cyrum, Darium Hystaspis, & Xerxem, qui præ cæteris regni potentiam auxerunt, Teste Herodoto & Justino. Hieronymus tamen tria imperia intelligit: tres ordines in ore regni Persarum, & in dentibus ejus tria regna debemus accipere: Babylonicum, Medorum atq;*

*Per.*



*Persarum: quæ in unum redacta sunt regnum.* Et legimus de Assive-  
ro quod CXXVII. provincias tenuerit *Esth. I. 1.* Comedisse dici-  
tur hæc Monarchia *carnes plurimas, ob victorias & populos debella-*  
*tos: unde Dan. VIII. 4. dicitur aries ventilans cornu in occidentem;*  
(Sita erat Persia in Oriente) *Aquilonem & meridiem.* Occidentem  
autem impugnavit, cum Syriam, Palæstinam, Babylonem subegit;  
*Aquilonem cum Scythas.* Quod à *Cyro & Dario Hystaspis* factum.  
*Herodotus* etiam Lydium à *Cyro* subactum docet. *Meridiem ven-*  
*tilavit, cum Ægyptum Cambyfes* subjugavit, & rebellem *Xerxes*  
recepit, item *Arta Xerxes Longimanus*, ut & *Ochus*, teste *Herodo-*  
*to, & Diodoro.*

Vers. 6.

## ET ECCE ALA QUASI PARDUS

*PARDUS* varium animal. Sic *Alexander* moribus variis,  
modo clemens, modo crudelis: modo victus temperati, modo  
ebriofus: modo abstinens, modo indulgens amoribus. *Pardus*  
apud *Persas & Ægyptios* hostem significat irreconciliabilem, ait  
*Achmetes.*

ET ALAS HABEBAT, QUASI AVIS, QUATUOR SUPER SE.

*Id est, celerior erit hæc vis. in Chaldaico, Quæ duas tan-*  
*tum habebat alas. Vide infra VIII. 5. Lucanus de Alexandro:*  
..... *Fulmenq; quod omnes*

*Percuteret pariter populos.**Et Mater ejus somniaverat ex utero suo enasci fulmen.*

*Pardus* animal ferum *Africæ Asiæq;* familiare *tertiam Mo-*  
*narchiam* adumbrat, spirat toto corpore præstantem odorem, cu-  
jus suavitate bestias alias corripit, ac devorat. Vid. *Plin. lib. VIII. c.*  
*IX. Aristot. lib. VIII. Hist. anim. c. 6.* E cute & membris *Alexan-*  
*dri M.* jucundum odorem emanasse *Plutarchus* autor est, & attra-  
xit sanè plures odore famæ, quàm armis subegerit. Et est *Pardus*  
per se animal *velocissimum*, & ὀρμητικόν, quod præceps ruit in san-  
guinem, sed hic adhæc tribuuntur ei alæ, & quidem quatuor, ad  
celeritatem summam notandam. *Alexander M.* ut h. l. *Hierony-*  
*mus, ab Illyrico & Adriatico mari usq; ad Oceanum Indicum & Gan-*  
*gem:*



gem fluvium non tam praelis quam victoriis percurrit, & sex annis magnam partem Europæ, & omnem sibi Asiam subjavit. Et Justinus ait, incertum esse, utrum admirabilius sit, Alexandrum vicisse orbem, quam vincere aggressum esse.

ET QUATUOR CAPITA ERANT IN BESTIA

Quatuor capita succreverant loco unius. Hi sunt quatuor summi post Alexandrum duces. Perdicca, Seleucus, Ptolemaeus, Meleager: Quorum Perdicca equitatu Macedonico; externo Seleucus; Meleager satellitio regio, Ptolemaeus peditatu præerant. Vide infra VIII.22. & adde 1. Maccab. 1.7. & quæ ibi dicentur.

ET POTESTAS DATA EST EI

*Ingens scilicet à Deo regnorum arbitro.*

Si quatuor capita loco unius succrevere, uti agnoscit Grotius, non de summis Alexandri ducibus quatuor, sed potius de successoribus hæc accipienda, Ptolemeo, Seleuco, Philippo, & Antigono. Nam hi imperium ipsius diviserant in quatuor regna. Ideò etiam cap. IIX. cornu hirci caprarum frangi dicitur, & oriuntur inde quatuor cornua per quatuor ventos cæli: Uno Syriam, altero Ægyptum, tertio Asiam, quarto Græciam adipiscente. Si quis scrupulum moveat, quod quatuor regna unam Monarchiam constituent, Respondet B. Helvicus in Synopsi Hist. univers. p. 40. ea non per se separatim considerata, sed conjunctim hoc axioma mereri, haud secus ac de mortuo principe, omnes præfecti conjunctim representant Principem, adeo, ut si qua pars ditionis ab extero quodam avellatur, illa non præfecto, sed toti Principatui decedat. Ita Romani etiam, ereptâ Asiâ, occupata Macedoniâ, Græciâ, Syriâ diminuisse quidem Monarchiam Græcorum dicuntur, extinxisse verò & ad se transtulisse dici propriè non possunt, antequam ultimam partem Ægyptum subegerint.

Verf. 7.

BESTIA QUARTA TERRIBILIS ATQUE MIRABILIS

*Cruva imaginis: quæ hic sub unius feræ nominis describuntur. Quod tùm Syria, quam Ægypti Reges Macedones essent, & in*



*Et in certis finibus modo hi, modo illi tutius regnaverint. Præ-  
terea Judæam quod hic maximè respicitur, nunchi, modo illi  
tenuerint, aut regnaverint. Etiam nunc Hebræi ista imperia  
uno nomine appellant מלכות יון.*

DENTES FERREOS HABEBAT MAGNOS, COMEDENS, AT-  
QUE COMMINUENS

*Idem quod ferrum in imagine II. 40. Sævitia denotatur in  
Judæos maxima, ut dixi.*

ET RELIQUA PEDIBUS SUIS CONCULCANS

*Si quos vivos reliquerint, eos fædè tractabat.*

DISSIMILIS AUTEM ERAT CÆTERIS BESTIIS, QUAS VI-  
DERAM ANTE EAM.

*Id est, multo sævior.*

*Bestia quarta quartam Monarchiam adumbrat, uti prio-  
res bestiaæ figuræ erant trium priorum imperiorum. Ide-  
oq; magno consensu ab interpretibus, Historicis, & Chronolo-  
gis de Romano imperio explicatur, si Calvinianos nonnullos, Pi-  
scator: Rolloc. Polan. Jun. & Tremell. in h. l. Chamcrum Pantrat.  
T. II. XVII. 14. Pezel. in Mellif: excipias. Neq; verò de successo-  
ribus Alexandri intelligi potest: nam illi jam sub tertiâ bestia ad-  
umbrati erant, per quatuor capita, quæ loco unius ipsi succreve-  
rant. Unde concludo. Quarta bestia prorsus alia ac diversa est à  
præcedentibus Bestiis. Ut c. V. 7. 10. 19. 23. constat. At successo-  
res Alexandri non sunt alij aut diversi à præcedentibus bestiis. Non  
ergò erunt quarta bestia. Porro Quarta bestia duratura est ad  
Judicium usq; extremum, sub cuius finem Sancti Dei altissimi regnum  
suscepturi sunt. At regnum successorum Alexandri non est Quarta  
bestia. Propositio est Dan. VII. 9. 10. 13. 14. 22. 26. 27. Assumptio  
est manifesta. Nam Ægypti regnum postremò à Romanis subla-  
tum est, cum stetit à morte Alexandri annis 294. Ptol. lib. III.  
cap. 8. Clemens Alexandr. Ulterius: In hoc Judicio, exactâ qua-  
tuor bestiarum Periodo, Sanctis datur regnum, & majestas & am-  
plitudo Regnorum sub toto cælo, quod possidebunt usq; in se-  
culum, & usq; in secula seculorum cap. VII. 18. 22. 27. Atqui Mac-  
cabai*



*cabæi non tenuerunt regnum amplius annis 126. quos Josephus numerat usq; ad Herodem. Quare regnum sanctorum post quatuor bestias non potest exponi de Maccabæis. Adhæc, cum largiatur Grotius per ferreos dentes comedentes atq; comminuentes hujus bestia idem figuratum esse, quod cap. II. in Colosso Danielitico per ferreos pedes, illic autem non successores Alexandri, sed quarti Imperij Monarchæ adumbrati sint, necessum est, ut hanc etiam figuram de quarto Imperio, non de Alexandri successoribus accipiamus. Et refutata est Grotiana ista *Ψευδερμνεία* jam ab Hieronymo in autore hujus *εὐρηματ*, empactâ Christianorum, Porphyrio, quem hic se sequutum esse non diffitetur Grotius. Refutata etiam est ab Historicis & Chronologis præstantissimis in Bodino, qui in Methodo suâ c. VII. eandem illustravit. Qui verò è Reformatis eidem patrocinantur, eos Calvinii, quem ceu præceptorem & Magistrum suum alias venerantur, Commentarius in Daniele facile redarguit.*

ET HABEBAT CORNUA DECEM

*Idest, decem erunt Reges, ut infra 24. nempe qui sedituri sunt in Judæos, tum ex Syria, tum ex Ægypto, quos omnes ex historia numeravit Porphyrius. Cornua eminent in animalibus: sic in populo Reges. Videmus autem decem ista cornua reperiri posse in capite infra undecimo. Hos scilicet Ptolemaum Lagi, Seleucum Nicatora, Ptolemaum Eupatora, Ptolemaum Evergeten, Seleucum Callinicum, Antiochum Magnum, Ptolemaum Philopatora, Ptolemaum Epiphanem, Seleucum Philopatora, Antiochum Epiphanem.*

Ita ergò cornua illa, secundum Grotium, sunt decem Reges sibi invicem succedentes, non verò regna coexistentia. At si vim textus respicias, non Reges, sed regna per cornua intelliguntur. Nam ut rectè Maldonatus observat: hoc in loco, & ubicunq; de futuris Monarchiis sermo est, non tam de personis, quàm de rebus agitur. Et visa est cornua simul habere bestia, non verò successivè, ideoq; de regnis summis existentibus ea intelligenda. Adde quod non inveniuntur decem Reges, qui successivè dominium obtinuerint post  
Alexa



AD DANIELEM CAP. VII.

Alexandrum Magnum usq; ad Antiochum in Syriâ. Hi enim fu-  
 ere; *Seleucus Nicanor, Antiochus Soter, Antiochus Theos, Seleucus*  
*Callinicus, Seleucus Cernunus, Antiochus Magnus, Seleucus Philopa-*  
*tor, Antiochus Epiphanes,* qui proinde octavus fuit ordine. Hoc  
 autem cornu parvum decem cornua priora sequitur. Quod autem  
 Grotius cum Porphyrio de diversis regnis Syriæ & Ægypti unum  
 contexit Regum ordinem, id nimis crassus error est. Porrò non  
 conveniunt oī ἐξ ἐναντίας de decem cornubus. Aliter enim enarrat  
 illa cornua *Franciscus Junius*, aliter alij; sed nec Grotij, nec Junij,  
 nec aliorum numerus solido nititur fundamento. Ad autorita-  
 tem *Porphyrij* tamen provocat Grotius, quam ipsi non invidemus.  
 Ceterum ne de alijs dicamus, Cur *Seleucum Nicanora, & Callinicum*  
 illis annumerat, qui Judæos afflixere, quum ipsis nihil negotij in-  
 tercesserit cum Judæis, neq; eosdem infestasse legantur, imò  
*Nicanor* Judæis beneficentissimus fuerit, teste *Josepho* l. XII. c. 3.  
 Cur omittit illos, quos *Junius* recenset, qui plures hic *Antiochos*  
 nempe *Sotera, Theon, & Hieracem*, quem cum *Magno* confundit,  
 adduxit. Scilicet nimis arbitraria est illa enumeratio, neq; ad  
 illa quartæ bestię cornua quicquam facit. Non enim tantum  
 hostes Judæorum hic describere voluit Propheta, sed *Imperia*  
*mundi* adumbrare sibi proposuit. *Nebucadnezar* certè, *Darius*,  
*Cyrus* & alij Monarche Judæis beneficia magna exhibuere, & cul-  
 tum Dei verum propagarunt, ejusq; causâ populi liberationem  
 procurarunt; quos vero ab hac animantium figurâ excludi nec ip-  
 se Grotius dixit. Quapropter *B. Lutherus, Osiander, Gesnerus,*  
*Helvicus* intelligunt hic decem regna sequentia, *Syriam, Ægy-*  
*ptum, Asiam, Græciam, Africam, Hispaniam, Galliam, Italiam,*  
*Germaniam, Angliam.* Philippus Nicolai sub *Asia* nomine, *Æ-*  
*gyptum & Syriam* complexus in earum locum substituit *Unga-*  
*riam & Poloniam* lib. II. de Reg. Chr. c. 8.

Vers. 8.

ET CORNU ALIUD PARVILLUM ORTUM EST DE ME-  
 DIO EORUM.

*Parvulum cornu dicitur, quia et si genere erat regio, nul-*  
*lum*



*lum tamen jus habebat ad regnum, Antiochus scilicet Epiphanes. Vide XI.21.*

ET TRIA DE CORNIBUS PRIMIS EVULSA SUNT A FACIE EJUS.

*Id est, per ipsum, aut ex ipsius jussu. Seleucus frater ipsius major occisus; spoliatus verò Demetrius ejusdem Seleuci filius, Antiochi autem Patruelis: spoliatus item Ptolomeus Philopator Rex Ægypti. Demetrius fuit filius Seleuci, qui frater Antiochi. Ac proinde apud Justinum, ubi filio hujus Antiochi Demetrius dicitur Patruus legendum patruelis: quod nos docent Appianus; & Livij breviator libro XLVI. Vide quæ dicentur infra ad cap. XI.*

ET ECCE OCULI QUASI OCULI HOMINIS ERANT IN CORNU ISTO

*Id est, perspicax erit ad res agendas Vide VIII.23.*

ET OS LOQUENS INGENTIA

*Erat enim arrogans admodum. Unde Ἐπιφανὴς dicitur. Vide infra.*

Hic magis se prodit falsitas interpretationis Porphyrio-Grotiana. Nam *tria cornua* ex illis dicuntur à succrescente *parvo cornu* dejecta. Adfert *Demetrium filium Seleuci spoliatum ab Antiocho. Ptolomeum item Philopatorum*: Sed hic de *avulsis, & disjectis cornubus*, non de *spoliatione* res est: Neq; *Demetrius* ille in numero decem cornuum à Grotio adductorum reperitur. Et regnavit Demetrius post Epiphanem. At cornua dejecta oportuit ante regnare *c. VII. 8.* Porro *parvum* illud *cornu* Danielis, quod inter decem cornua enatum, distinctum est à Decem cornubus, non verò est ex numero istorum cornuum. Nam dicitur ascendisse *בִּינֵיהֶן* *inter ea*. At Antiochus Epiphanes non est cornu distinctum à decem cornubus, sed unum est ex illorum numero, juxta Grotium E. Antiochus non est *parvum cornu*, de quo Propheta agit. *Post ortum decem cornuum* prodijt *parvum cornu*, & illa decem cornua hujus respectu diserte dicuntur *priora* vers. 8. *קַרְנֵי קִדְמֹתָם* *de decem cornubus prioribus*. Diciturq; Rex



Rex ille per *parvum cornu* significatus *post reliquos* surrecturus vers 24. ET ALIUS CONSURGET POST EOS: & differet ipse à PRIORIBUS. Quæ nullatenus de *Antiocho* intelligi possunt. Ille enim non fuit *alius consurgens post decem Reges*, sed *unus ex decem Regum numero*: non differt à prioribus illis decem Regibus, ceu novus & alius Rex, sed ad eorum numerum pertinet, juxta Grotianam explicationem. Adde quod *cornu illud parvum ascendere* vel prodire debuerit *INTER decem illa cornua quarta bestia* vers. 8. 20. 21. adeoq; exitus ejus pertinet ad Quartum imperium, non verò ad tertium. Atqui *Antiochus Epiphanes* non prodijt ex quarta bestia, sed ex tertia Dan. IIX. 9. 22. 25. ortus è *Seleuco*. Ideoq; Antiochus Epiphanes non est cornu illud parvum, inter decem cornua enatum. Præterea *Cornu parvum* Quartæ bestia, quod exortum est inter decem cornua, majus est cæteris, postquam vires acquisivit vers. 20. At *Antiochus Epiphanes* non fuit unquam major, aut potentior cæteris. Quod ex historiis probat Helvicus pag. 5. Præterquam quod Parthica gens dudum antehac sub Seleuco Callinico à Seleucidis defecerat & Syria intestinis bellis plurimum debilitata fuerat (Vide *Appian: Syr. Just: lib. 27.*) notum est, ad quantas angustias Antiochus M. pater Epiphanis redactus, & quantâ regni parte à Romanis exutus fuerit, & quam gravi insuper tributo oneratus; Vide. Liv. dec. 4. lib. 7. Flor. lib. 2. c. 8. &c. Qui ergo Epiphanes cæteris ante se regibus major potentiorq; dici possit? Deniq; *prævaliturum erat cornu parvum sanctis*, donec veniret *antiquus dierum ad judicium*, adeoq; ad novissimum diem usq; duraturum est illud imperium. At Antiochi Imperium jam per plura secula eversum.

Quod si verò objiciatur; *Antiochum sequente capite per parvulum cornu representari*; facilis est responsio; id ab hoc diversum esse, vel ex eo constare, quod *illud corniculum oriatur in fronte Hirci Caprarum*, hoc est, *Alexandri Magni*. Præsens autem *νεφέδιον* ex *quarta bestia* nascatur. vers. 22.

Hæc ergò argumenta convincunt non intelligendum hic esse cum Grotio, & Calvinianis plerisq; Antiochum. Unde *Calvinus* ipse hic nobis suffragatur, ut & *Jobannes de Napejr* cum Inter-



prete Leone de Dramna propof. 24. p. 86. agnoscens, *quartam bestiam necessario esse Monarchiam Romanam.* Si ergò quæras, ecquis deniq; hic designatus fuerit? Resp. Pontificij Antichristum, quem adhuc oriturum, fingunt, indicari volunt: *Maldonatus, Perer, Cornel. à Lapide* in h. l. *Riebera* in Apoc. XII. II. *Josephus à Costà* lib. II. de temp. noviss. cap. IX. *Bellarminus* lib. III. de Pontif. Romano c. XVI. *Gretserus* in defens. Bellarm. *Schoppius* de Anti Christo, *Lessius* demonstrat: XII. de Antichrist: *Becan.* Tom. II. opusc. I. Sed cum Utopicum suum Anti Christum nusquam alias inveniant in S. Literis, & ea de illo somnient, quæ Scripturis nullatenus consentanea sunt, non nisi temerè hic locus ad eundem detorquetur. Merum enim est *Ens rationis*, & *Chimæra Papistica* Antichristus ille à Papæis confictus. Et obstant non pauca huic sententiæ, in textu, quæ à urgentur *Gesnero* th. 134. Primo enim hoc parvulum cornu denotat *secularem Principem*, seu Regem, eo quod oritur è *decem corniculis*, id est, è *medio Regum* vel Principum: & angelus infra expressè nominat cornu istud Regem, qui potentior sit futuris prioribus. Anti Christus autem licet regiam eminentiam sibi vendicet, Dan. XI. attamen in proprio suo habitu 2. Thess. 2. & alibi non ut Monarcha, & Rex, sed ut *Pseudo Apostolus*, & *Impius Ecclesie Doctor* inducitur. Deinde de hoc Rege traditur, quod *tria cornua sit dejecturus*, & *Sanctis Dei bellum illaturus*, quod vaticinium nihil aliud significat, quam eum tyrannum, qui hæc imagine signatur, fore *extra Ecclesiam*: Anti Christus autem sedet in mediâ Ecclesiâ 2. Thes. II. neq; dejicit cornua, sed toti bestie illas infidet Apoc. XVII. Deniq; adventus Anti Christi est cum prodigijs & miraculis Math. XXIV. & Luc XXI. 2. Thess. II. Huic autem corniculo nulla miracula, sed vis, scævitia & Blasphemia tribuuntur.

Et si autem *Hieronymus*, & alij Patres videntur hunc typum de Antichristo interpretati, certum tamen est, quod illi talem Antichristum, qualem Pontificij sibi imaginantur, ne per febrim quidem somniaverint. Et quicquid illi de hoc corniculo tradunt, illud omne *Anti Christo orientali*, qui est extra Ecclesiam, rectissime transcribi potest. Nec mirum est, *Patres obscurius de Anti-Christo*



AD DANIELEM CAP. VII.

*Christo loqui*, cum oracula Prophetarum lucem tuam ab eventu fortiantur, & nos demum hodie, postquam uterq; AntiChristus, *orientalis* atq; *occidentalis*, revelatus est, rectè de illis judicare possimus.

Ideoq; Nostrates de *Antichristo* quidem, sed *vero*, non ficto de *orientali*, non *occidentali parvum cornu* Danielis intelligunt, hoc est, de *Turcâ*, qui hic non dubijs *γωγισμασι* & Characteribus describitur. Namq; dicitur (1) *parvum cornu*, quia sub initium valde exiguum fuit. Mahomedes enim infimæ fortis parentibus *Abdele*, vel ut Alcoranus apud Geifreum eum vocat lib. IV. Aul: Turc. p. 163. *ABBALLA*, & matre *Emina* in agro urbis *Mechæ* Anno Christi 560. procreatus, servus initio, deinde manumissus in matrimonium duxit servam suam *Abdimenepis* divitis Mercatoris conjugem, eâq; defunctâ *Bubaris* Principis filiam sibi matrimonio copulavit, & cum *Ismaelitæ* sub *Heraclij* signis præclare militassent adversus *Cosrõem* Persam, sed stipendia ipsis non solverentur, & ab Imperatore deficerent, Dux eorum factus est, & Saracenos illos vocavit *Mahumetes*: transijtq; *parvum cornu Arabiam, Syriam*, & alia regna, adeoq; excrevit in magnam potentiam. Porro (2) *Parvum illud cornu* sub quartâ *Monarchiâ* oriri debuit, quod in *Mahumetano* impletum imperio. Indignum judicat Deus *Turcicum* imperium, ut rectè hic *Osiander*, ut de eo, tanquam de peculiari *Monarchiâ*, loquatur. *Turca* enim non est verè *Monarcha*, sed occupavit quasdam partes *Romani Imperij*: In quibus hæret, sicut *cancer* (morbus) in corpore (3) *Parvum illud cornu* à regnis istis tria avellere debuit. Factum id, cum *Ægyptij, Asia, & Græcia* sub potestatem *Mahometis* redacta. Vide *B. Lutherum* præfat: in *Danielem*, *Osiandrum* in *Paraph: B. Gesnerum* ad h. l. *B. Balduinum* Tom. II. disput. *Witteberg. disp. VI B. Gerhard.* Tom. IX. LL. CC. 191. *Parthiam, Armeniam & Mesopotamiam* non Romanis, sed *Persis* extorsit. (4) *Oculi* hujus cornu tanquam oculi hominum designant *vafriciem & versutiam* *Mahometis*, quam ex historiâ ejus, & *Alcorano* hic prolixè exprimit *B. Gesnerus*. Tametsi magna fuit, & est *Saracenorum & Turcarum Barbaries*, ut hic *Osiander*, (neq; enim literas aut stu-



dia humanitatis curant) tamen in augendo Imperio suo sunt  
 oculatissimi, omnes occasiones captant, quibus vicina territoria  
 occupent, & subjugent. Et procul dubio Turca melius, quid in  
 Romano Imperio fiat, novit, quam aliqui status Imperij. (5) *Os lo-*  
*quens grandia mendacia & blasphemias Mahomedicas* notat, qui-  
 bus Alcoranus est refertissimus. Hujus compendium Geifraeus  
 lib. IV. Turc. Aulæ & frater Richardus Tom. II. Witebergens. Luth.  
 exhibuit. Et jactitat Alcoranus ipse, se quidem continere 22000  
 dicta, sed novem millia eorum falsa esse. (5) Præliatur cornu illud  
 contra Sanctos, & prævalet illis v. 21. Quod de bestia Mahometana  
 impletum esse, tristis experientia satis docuit. (6) *Mutare conatur*  
*tempora.* Turcæ neq; Sabbathum Judæorum, neq; diem Domi-  
 nicam observant, sed *diem Veneris* ejus loco celebrant, tum in  
 Christi contumeliam, qui eo die crucifixus, tum in Veneris, quam  
 Hagareni olim coluerunt, teste Cedreno, honorem. (7) Mutat  
 cornu illud etiam *legem.* Ita Mahomed legem seu doctrinam  
 cœlestem abjecit, & aliam legem ei è Diametro oppositam com-  
 mentus, eamq; *Alcorano* complexus est. (8) Duratio regni illius *per*  
*tempus, tempora, & dimidium temporum* definitur. Similiter etiam  
*Apoc. XII. 12. Mulier* Ecclesiam adumbrans fugere dicitur *tempus,*  
*tempora, & dimidium temporum,* atq; idem exilium describitur po-  
 steà 1260. dierum spatio, ac porrò Apoc. XI. 23. c. XIII. 5. tempus i-  
 dem mensibus XLII. circumscribitur, qui *tres annos cum dimidio*  
 absolvunt; ex quâ collatione apparet, eodem sensu hanc phrasin  
 à Daniele adhibitam; adeoq; tres annos cum dimidio vel 1260.  
 dies designare. Pleriq; intelligunt *annos solares,* quorum quili-  
 bet tot annos, quot alioquin dies complectatur; qui apprimè  
 conveniunt Regno Mahometano. Nam Mahometh exortus est  
 an. Christi 560. ex quo tempore in præsentem annum 1667. elapsi  
 sunt 1103. anni: Sic ergo restarent adhuc 157. quos propter electos  
 abbreviatum iri, Christus promisit Matth. XXIV. (9) Cornu illud  
 magnum dicitur præ locijs suis, in decem illis cornibus vers. 20.  
 Quod Mahometano imperio convenire nullum dubium est. Ma-  
 jus enim est, quam ullum ex septem illis reliquis Imperiis. (10) De-  
 niq; cornu istud destructum dicitur sub adventum Domini ad Ju-  
 dici.



dicium. Neq; AntiChristi Orientalis potestas abolebitur, nisi cum glorioso Christi adventu, qui finem etiam Anti-Christo Romano adferet. Theff. II. *Osiander*, existimo, inquit, *hunc textum sic accipiendum: quod Dominus paulò ante novissimum diem, potentiam Turcæ (Gog illius & Magog Ezech. XXIX. 39.) sit everurus: deinde puto, mox adfuturum & finem hujus mundi.* Notat tamen postea novissimum diem totam omnino Turcarum potestatem demum aboliturum. Porphyrianam Grotij sententiam ita è textu & Interpretum consensu refellit Hieronymus; *Frustra Porphyrius cornu parvulum, quod post decem cornua ortum est Epiphanem Antiochum suspicatur, & de decem cornubus tria evulsa cornua, sextum Ptolomaum cognomento Philometorem, & septimum Ptolomaum Evergetem & Artaxiam Regem Armenia, quorum priores multò antequam Antiochus nasceretur, mortui sunt. Contra Artaxiam verò dimicasse quidem Antiochum novimus: sed illum in regno pristino permansisse. Ergo dicamus, quod omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt: in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter se dividant: Et undecimum surrecturum esse Regem parvulum, qui tres Reges, de decem Regibus superaturus sit: Id est, Ægyptiorum Regem, & Aphricæ, & Æthiopiæ.*

ASPICIEBAM DONEC THRONI POSITI SUNT.

*Sedilia judicium, Dei scilicet, ut Regis, & angelorum, ut Satraparum regni. Vide quæ supra IV. 14. 21. Matb. XIX. 28. Apoc. IV. 24. V. 1. XX. 4.*

ET ANTIQVUS DIERUM SEDIT.

*Formam vidit viri provec̄ta ætatis, quo significabatur benè cōcta fore Dei judicia, qualia esse senum solent.*

VESTIMENTUM EJUS CANDIDUM QVASI NIX.

*Non ipse tantum incorruptus, sed & omnia quæ circum eum sunt.*

ET CAPILLI CAPITIS EJUS QVASI LANA MUNDA.

*Nulla colore tincta. Sic Dei Judicio pura à turbidis affectibus.*

THRO-



## THRONUS EJUS FLAMMÆ IGNIS

*Id est, tanquam flamma. Ignis res efficacissima: sic & Deus ad Judicia sua exequenda potentissimus.*

## ROTÆ EJUS IGNIS ACCENSUS

*Quasi ignis ardens Sedilia in Oriente transportari solebant: Ideo rotas habebant, ut sella curules Romanorum. Significatur potentia Deum comitari quo cumq; voluerit.*

Verl. 10.

## FLUVIUS IGNEUS, RAPIDUSQUE EGREDIEBATUR A FACIE EJUS.

*In Chaldoeo: Flumen igneum manabat ab ore ejusegrediens. Omnibus decretis ejus vis aderat perpetua.*

Sic etiam B. Gesnerus sententiam Judicis innui vult, quæ verè erit ignea impijs. Rupertus Tutienfis verò per fluvium adumbrari vult Spiritum Sanctum, cujus sententia non inconueniens est: Nam uti Deus Pater per Antiquum dierum, Filius in specie filij hominis sistitur, ita in hâc illustri Θεοφανεϊα par erat etiam exhiberi Spiritum Sanctum, tertiam divinitatis Personam. Et quum Spiritus Sanctus sub fluvij similitudine ac specie alias in Scripturis exhibeatur Job. VII. Apoc. XXII. Idemq; igneam formam amet, eâq; se visendum præbeat Act. II. adhæc expressus hic habeatur Character personalis, in voce ἐκπορευόμενος, quæ in Græco textu occurrit, ac Spiritui Sancto appropriatur Job. XV. 26. Apoc. XXI. 1. (In Chaldoeo textu occurrit verbum ܩܕܝܝܗ̈ܘܢ quo Syrus utitur Job. XV. 26.) deniq; ἐκπορευόμενος dicatur AB ORE Antiqui Dierum, quod Spiritui oris Domini ἐκπορευόμενος παρὰ τῆς πάλῃος proprium est, ideoq; non immeritò hæc de Spiritu Sancto exponuntur. Sicut Fluvius est ejusdem naturæ cum fonte, ita Spiritus Sanctus cum Patre. Facies sedentis est velut ignis, fluvius à facie est etiam igneus. Vid. B. Gerbardum Cap. CLXXVIII. Harmon. Evang. Plenius hanc ἐξηγήσασθαι confirmavit B. Wilh. Lyserus, in Programmate pentecostali, A. M DC XXXIII. nomine Rectoris hic, pro more Academiæ, publicè proposito. Fluvius iste Danielis ignis est, & quidem non culinaris, cui



AD DANIELEM CAP. VII.

cui *Vitruvius* prima hominum consortia accepta refert l. 2. c. 1. vel  
 Elementaris, de quo adhuc inter Philosophos lis est, sed planè  
 supercœlestis, & divinus, qui in ipso etiam sedentis throno con-  
 spicius, unde lucem inaccessam inhabitare 1. Tim. VI. 16. dicitur  
 ejusdem summam sapientiam & scientiam, infinitam justitiam &  
 immensam potentiam ostendit. Egreditur enim hic ignis fluvius  
 à facie sedentis in throno, unde divina ejus origo, & natura  
 conspicua. Fluvius enim ignis hic  $\text{יְהוָה יֵצֵא מִן־פָּנָיו}$  ex facie, vel  
 anteriori sedentis in throno antiqui dierum oritur, non ex posteri-  
 ori, ut effectus ab ipso extra ipsam productus sequitur. De an-  
 gelis statim subjicitur, quod steterint  $\text{יְהוָה יֵצֵא מִן־פָּנָיו}$  corameo: At de  
 fluvio hoc quando S. S. loquitur, particulam  $\text{פָּנָיו}$  adjungit, quæ  
 fluminibus addita ad originem, & fontem nos revocare solet Ex.  
 XVII. 6. Jud. XV. 19. Ita ergo fons fluvij hujus in ipsâ facie antiqui  
 dierum est, in qua quia nihil est, quod non ipse Deus est, fluvius  
 quoq; hic ex eo emanans divinæ naturæ particeps erit: fluvij enim  
 ejusdem naturæ cum fonte, ex quo promanat, est, juxta notum  
 illud Bedæ lib. 1. in Morum. c. 1. *Scimus fontem vivum stagnum tantam  
 æqualitatem continere, ut si de quolibet eorum in aliud infundas,  
 nullam dissimilitudinem in eis invenias: dummodo nulla impuritas  
 extrinsecus accedat. Quis ergo sciens hæc in terra visibili invisibilis  
 creatoris Trinitatem & unitatem credere nequit? quis sciens fontis  
 & rivi & stagni unam eandemq; substantiam, id est, aquam, intelli-  
 gere non potest illud, quod Dominus in Evangelio dicit: qui  
 me videt, videt & Patrem.* Etsi verò fluvius hic igneus ejus-  
 dem cum facie sedentis in throno, ipsoq; antiquo dierum natu-  
 ræ & essentiæ est; attamen per modum emanationis ab eodem di-  
 stinguitur. Dicitur enim fluvius hic ignis  $\text{פָּנָיו}$  egrediens  $\text{פָּנָיו}$   
 propriè per  $\text{ἐκπορεύσιν}$  redditur, unde LXX. senes ita Danielelem  
 h. l. explicarunt:  $\text{ποταμὸς πυρὸς εἴληεν ἐκπορευόμενον}$ . Imò i-  
 pse S. Sanctus in commentario, quem supra Danielis hanc visio-  
 nem in *Apocalypsi* per *Johannem* consignari fecit, idem verbum de  
 fluvij hujus egressu adhibet cap. XXII. 1.  $\text{ἐδείξε μοι καθαρὸν ποταμὸν$   
 $\text{ὕδατος ζωῆς ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ ἀρνίου.}$   
 At  $\text{ἐκπορεύσιν}$  & processionem à Patre & Filio proprietatem Spi-  
 ritus



ritus Sancti personalem esse ex Symbolo Athanasiano novimus & profitemur: *Spiritus S. non factus nec creatus, nec genitus sed à Patre & Filio procedens.* Hujus fidei fundamentum in verbis Christi habemus Joh. XV. 26. *τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας ὃ παρὰ πατρὸς ἐκπορεύεται;* quæ Syrus ita reddit: *ܐܘܪܘܟܝܢܐ ܕܥܝܠܝܢܐ ܕܥܝܠܝܢܐ ܕܥܝܠܝܢܐ* planè eandem vocem, quam hic Daniel habet, retinens. Ut ita hoc verbo *interna & aeterna Spiritus S. à Patre & filio emanatio* nobis insinuetur, & *ἀρρήτων καὶ ἀκατάλητων* alioqui mysterium in similitudine *ignei fluminis ex igne à facie emanantis & in eadem tamen conspicuè semper manentis,* præter aliorum fluminum Naturam, quæ à fonte fluendo recedunt, nobis aliquo modo adumbretur.

Attribuitur tamen etiam igneo huic fluvio & altera vox *ܕܢܢܐ* quam aliqui *trahere,* alij *protrahi,* alij aliter reddunt: Sed ex collatione Targumim liquet, vocem hanc à Chaldæis usurpatam, ac de aquis & fluminibus acceptam destillationem & effusionem eorundem denotare: *ܕܢܢܐ* quod de *nubibus stillantibus* Jud. V. 4. habetur, àh Caldæo ita effertur *ܕܢܢܐ ܕܢܢܐ stillaverunt, demiserunt pluviam.* Et vocem *ܕܢܢܐ* Deut. XXXIII. 22. *impetuosam eruptionem Dan* insinuantem ita explicat Onkelos: *terra ejus irrigatur à torrentibus, qui defluunt de Basan* voce *ܕܢܢܐ* itidem adhibita. Ut ita in hâc præclarâ visione, in qua Danieli & totius orbis regimen in quatuor bestijs, & cum primis regnum Messiaë Novi Testamenti sub quartâ bestiâ instituendum, & post finem etiam mundi duraturum demonstratur, præter mysterium S.S. *Trinitatis in antiquo dierum filio hominis, ejusq; exaltatione, & fluvio hoc ignis,* de tertiâ trinitatis persona Spiritu S. non tantummodo doceatur, ipsius divina essentia, & personalis proprietas, atq; propter essentialem *περιχώρησιν in throno immanens emanatio,* sed etiam indicetur ratione donorum *mirabilis in N.T. facta effusio.* Quod enim Joh. VII. 38. credituro promittitur; sicut dicit Scriptura, *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ,* id ibidem de Spiritu S. *miraculosa effusione* explicatur; quæ ut ratione *copiæ & abundantia, pluvie & fluminibus effusis* Esa. XLIV. 3. XLIX. 10. Joel. II. 28. Zach. XIV. 18. ita ratione *prestantiæ & virtutis igni* confertur. Unde



AD DANIELEM CAP.VII.

Unde & *Baptismus ignis* appellatur *Math.III.11.Luc.III.16.* Et quis dubitare posset, *copiosam pluviam de fluvio ignis hoc* in Apostolos destillasse, cum in hoc festo in *figurâ linguarum ignearum* Spiritus S. dona copiosè & largissimè inter Apostolos fuere distributa? *Guttula aliquot* hujus fluminis, scintillæ tantum quædam hujus ignis ad prisci ævi homines in V. T. pervenerunt, at *copiosa effusio*, quæ verbo *כבוד* respondeat, ad abundantio- rem N. T. gratiam pertinet, & in primâ Pentecoste omninò impleta fuit. Hæc B. Lyserus, quæ addere hic placuit, quia programmatis nulla reperiuntur exemplaria, & non parum illa faciunt ad insignis hujus visionis illustrationem.

MILLIA MILLIUM MINISTRABANT EI, ET DECIES CENTENA MILLIA ASSISTEBANT EI.

*Non decem illa, quas Aristoteles comminiscitur, intelligentia, sed immensus angelorum ministrantium numerus.*

JUDICIUM SEDIT.

*Id est, Angeli illi majores assederunt in sellis minoribus:*

*כבוד* pro בית דין, id est, *ὁ συνέδριον.*

Unde constat, per *judicium* angelos majores intelligi? Probandum id erat è Scripturis. Angeli citra discrimen ministrant omnes Deo, ut habetur in textu: *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Distinctio illa angelorum ministrantium & assistentium Papistarum lucernam olet. Quod autem dicitur JUDICIUM SEDIT, non est, ut intelligamus de *Synedrio*, quum accipi possit de *Judice*, quod sederit ad *judicium*. Et si maxime assessores comprehendi dicantur, novimus utiq; quod Sanctis hoc *ἀξιωμα* tribuatur, qui dicuntur *mundum judicaturi* I. Cor. VI. quodq; peculiariter hoc Apostolis promissum sit; *Sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* Math. XIX. 28. Luc. XXII. 30. Quod de XXIV. Senioribus etiam legitur Apoc. IV. 4.

ET LIBRI APERTI SUNT.

*Libri vocantur Scripturae omnes, accusatio, defensio, testimonia, instrumenta: Confer. Apoc. XX. 12.*



*Spectabam attentus.*

PROPTER VOCEM SERMONUM GRANDIUM, QUOS  
CORNU ILLUD LOQUEBATUR.

*Etiam in Deum ipsum infra 25. Avebam cernere, quem exitum hac res habitura esset.*

ET VIDI QUONIAM INTERFECTA ESSET  
BESTIA.

*In Chaldeo: spectavi donec interfecta est bestia. Tam diu substiti speculabundus, donec exitum cernerem Imperij illius Syriaci, & Aegyptiaci.*

ET PERIISSET CORPUS, ET TRADITUM ESSET COMBURENDUM IGNI.

*Id est, ita deletum est, ut ejus non magis quicquam appareret, quam rerum quas ignis absumit. Pompejus Antiocho Asiatico Syriam ademit, Augustus Cleopatra Aegyptum, ita regna desierunt esse, factaeque sunt provinciae populi Romani.*

ALIARUM QUOQUE BESTIARUM ABLATA ESSET POTESTAS.

*Macedonia à Paulo victa, Graecia à Mummio, & Flaminio, Mitridates à Dario Histaspis filio ortus, fractus à Sulla & Lucullo, à Pompejo devictus. Sic regna Asia Pergamena, Ponti, Cappadocia, Bithynia extincta, quae olim Chaldaeorum, deinde Persarum fuerant.*

ET TEMPORA VITAE CONSTITUTA ESSENT EIS.

*Quia spatium vitae ipsis constitutum fuerat: Nempe à Deo. vide Apoc. XVII. 17.*

USQUE AD TEMPUS ET TEMPUS.

*In Chaldeo. Usque ad tempus, & quidem praefinitum. Ultra terminum à Deo fixum non potuerat subsistere.*

*Grotius intelligit particulare iudicium exercendum adversus Antiochum, & exitum hujus tyranni, & imperij Syriaci & Aegyptiaci*



AD DANIELEM CAP. VII.

*ci.* At de *universali & novissimo* iudicio sermonem esse *aspiciē-*  
*tes* docent. Filius n hominis *venisse* dicitur *in nubibus cæli* v. 13.  
 quæ est descriptio adventus novissimi *Math. XXIV. 30. Luc. XXI.*  
*27. Dicuntur Throni positi ad iudicium* vers. 9. & 10. & libri aperiun-  
 tur v. 11. quæ notæ sunt iudicij ultimi *Math. XIX. 28. Luc. XXII. 3. A-*  
*poc. XX. 12. & seqq.* Sancti ceu assessores in iudicio introducuntur  
 vers. 10. quod in novissimo iudicio futurum esse constat *Luc.*  
*XXII. 3. 1. Cor. VI. 2.* Deniq; intromittuntur Sancti ad plenariam  
 regni cœlestis possessionem vers. 18. & 27. Quod non fiet, nisi in no-  
 vissimo die *Math. XXV.* Neq; solum adversus *cornu parvum*, aut  
*quartam bestiam* iudicium constituitur, sed aliarum etiam bestia-  
 rum potestas finem habet v. 12. ac sola *Sanctorum* potestas, & impe-  
 rium æternum permanet.

Vers. 13. ASPICIEBAM ERGO.

*Jam modum describit, per quem contigit ista mutatio. E-*  
*adem res significatur, quæ per lapidem, cujus incussu fracti*  
*statuæ pedes. 2. 34 35.*

ET ECCE CUM NUBIBUS COELI.

*Id est, summâ cum celeritate, ac motu rapido in partes o-*  
*mnes ut Jer. IV. 13.*

QUASI FILIUS HOMINIS VENIET

*Populus Romanus nullum habens intra se Regem, ut di-*  
*citur 2. Maccab. VIII. 14. Filij hominum dicuntur privati, ut*  
*Psal. LXXXII. 7. Privatum autem hic sume, quatenus ea vox re-*  
*gibus opponitur; ut apud Lucanum;*

Nesciat hoc quisquam, nisi tu quæ sola meorum  
 Conscia votorum es, me quamvis pleno honorum;  
 Et dictator eam Stygias, & Consul ad umbras  
 Privatum, fortuna, mori.

ET USQUE AD ANTIQUUM DIERUM PERVENIT, ET IN  
 CONSPECTU EJUS OBTULERUNT EUM.

*Id est, iussus est se sistere coram Deo, regum & regnorum*  
*iudice, velut ad accipiendâ mandata: Sic Cyrus servus Dei di-*



*citur, quia Dei decreta exsequebatur. Est autem populus Romanus non obscure Christi imago, cujus imperium ab initiis minimis in totum orbem pervenit, sed divino modo. Ita sensit & scriptor de Regimine Principum.*

Verf. 14. ET DEDIT EI POTESTATEM, HONOREM, ET REGNUM.

*Deus ei dedit imperium maximum.*

ET OMNES POPULI, TRIBUS, ET LINGUÆ IPSI SERVIENT.

*Confer. Apoc. XIII. 7.*

POTESTAS EJUS POTESTAS ÆTERNA QUÆ NON AUFERETUR, ET REGNUM EJUS QUOD NON CORRUMPETUR.

*Manet etiam nunc imperij Romani, accisi alicubi, sed aucti in aliis partibus & nomen & majestas.*

Detestanda *ερεβλότης* illustris sententiæ, per *filium hominis Populum Romanum* intelligendum esse. Quæ glossa primum stupendâ novitate suâ sese prodit. Neminem enim, qui eam amplexus fuerit, nisi obscurum, nescio quem scriptorem, *de Regimine principum* invenire potuit vir *πολυμαθέων*. Omnes autem veteres & recentiores Doctores *Messiam* per *filium hominis* intelligi consentiunt. Porro cum idem per *filium hominis*, quod per *lapidem sine manu avulsam* notari agnoscat Grotius, uti per istum cap. II. *Messiam* designari ostendimus, etiam hic eundem intelligere oportebit: De quo Hieronymus: *Qui in somno Nabuchodonosar, lapis scribitur abscissus sine manibus, & crevisse in montem magnum, & comminuisse testam, ferrum, es, argentum, & aurum: nunc sub persona filij hominis introducitur, ut assumptio carnis humane significetur in Filio Dei, juxta illud, quod in Actibus Apostolorum legimus: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Tum verò ineptum est, atq; insolens, *populum integrum* voce *filij hominis* notari; *Filium verò Dei esse filium hominis*, non modo phrasi N. T. receptis-*



## AD DANIELEM CAP. VII.

ceptissimum est, sed etiam in V. T. haud inusitatum fuit, ut vel è Davidicâ locutione Psal. IIX. constat. Adhæc adducitur filius hominis in nubibus ad Antiquum dierum, ut ipsi detur *potestas judicandi*, ut pote cui Pater omne iudicium dedit, ut è loco parallelo Joh. V. notum. Neq; verò adducitur, *ut mandata capessat ceuservus Dei*, quemadmodum putat Grotius, sed ut gloriâ & honore maectetur ac coronetur. Non in statu exinanitionis, sed exaltationis constitutus est. Ulterius non *potestas terrena & mundana*, non *particularis & topica*, sed *potestas aeterna & cœlestis*, *potestas universalis & oecumenica* datur filio hominis, quæ in æternum permanet, & ut omnes populi, tribus, & linguæ ei serviant. Quod de nullo Rege terreno dici potest. *Potestas ejus potestas aeterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.* Quod in Romanum Imperium minimè quadrat, nec in ullum seculare regnum; omnia enim illa comminuuntur, ac finem habent. Hoc cui potest hominum convenire, inquit Hieronymus, respondeat Porphyrius: aut quis iste tam potens sit, qui cornu parvulum, quem Antiochum interpretatur, fregerit atq; contriverit? Si responderit, Antiochi Principes à Juda Maccabæo fuisse superatos, docere debet, quomodo cum nubibus cœli veniat quasi filius hominis, & offeratur vetusto dierum, & detur ei potestas, & regnum, & omnes populi, tribus ac linguæ serviant illi: & potestas ejus aeterna sit, quæ nullo fine claudatur. Illæ autem glossæ, quod in nubibus cœli veniat filius hominis, hoc est, cum summa celeritate, quodq; per filium hominis *privatus* intelligatur, & quod usq; ad antiquum dierum perveniat, id est, *jussus sit se sistere*, velut ad mandata accipienda, & quod *potestas ejus aeterna* sit, h. e. nomen & majestas imperij Romani aliquâ ratione maneat, tam frigida, ineptæ, atque insultæ sunt, ut iis refellendis immorari pigeat. Argumenta hæc, quæ adduximus, refellunt etiam Job. Henr. Biesterfeld. in refut. Crellij de uno DEO Patr. l. i. sect. i. c. IIX. & Henrici Meerbotij in sent: definitivâ aphorism. 24. p. 55. nænias, qui per Filium hominis Principem terrenum, nescio quem (nam & illinesciunt, quem designare debeant) intelligi comminiscuntur.

Vers. 15.



Verf. 15. HORRUIT SPIRITUS MEUS EGO DANIEL TERRITUS SUM IN HIS, ET VISIONES CAPITIS MEI OB-  
TURBAVERUNT ME.

*Ob tantas mutationes, quas generaliter & confuse concipiebat animo, mox intellexit distinctius.*

Verf. 16. ACCESSI AD UNUM DE ASSISTENTIBUS.

*Ad Angelum unum, non ex adsidentibus, sed ex assistentibus, & ministrantibus Deo. Vide Zach. III. 4. 7. & quæ dicta à nobis ad Matth. XVIII. 10.*

ET VERITATEM QUÆREBAM.

*Idest, claram intelligentiam: Ἰὴν ἀκριβείαν. Theodotio.*

DIXIT MIHI INTERPRETATIONEM SERMONUM

*Rerum, quas videram in quiete.*

Verf. 17.

HÆ QUATUOR BESTIÆ QUATUOR SUNT REGNA

*Sic & Theodotio τέσσαρες βασιλείαι. In Chaldoeo est מלכות Reges, id est, regum genera, sive reges quadruplices.*

QUÆ CONSURGENT DE TERRA.

*Nihil nisi terrenum cogitabunt, agentq;, utpote idololatra.*

*Consurgere de terra ortum notat imperiorum terrenorum, quæ in terrâ exoriuntur, in terrâ geruntur, terrena sunt: & opponuntur æterno Imperio, quod & Domini de cælo, & cœleste est, ac cœlesti modo geritur. Non autem Monarcharum exprimitur hæc phrasi animus, quod terrena tantum sapiant, nedum, quod omnes Idololatræ sint: quæ injuria est, in plures Monarchas, Dei veri cultui, sub diversis Imperiis addictissimos.*

Verf. 18. SUSCIPIENT AUTEM REGNUM SANCTI  
DEI ALTISSIMI.

*Imperium tandem maximum (id est, Romanum) perveniet ad unius Dei cultores. In hoc honore primas habuissent partes Judæi οἱ κτὲ σάρκα, si Messiam humilem recepissent: Nunc cum ipsi eum repudiaverint, translatus est is honor ad Jude-*



*Judeos mysticos, ad Christianos: qui quod precipuum Judaismi erat, retinent, unius Dei cultum, eo modo in arborem Judaicam insiti: manente interim penes Judeos hoc honore, quod is, cui reges ipsi Christiani famulari se testantur, Jesus judeus fuit, ex Judeis. Sancti autem revera Christiani, se Christi precepta sequuntur, multum vincentia omnem judaeorum, etiam optimorum, sanctitatem.*

ET OBTINEBUNT REGNUM USQUE IN SECULA  
SECULORUM.

*Christiani perpetuo compotes erunt magnorum regnorum, et si quid de veteri Imperio Romano eis decedet, id compensabitur adjectione terrarum, quæ Romanis nunquam parvère, quales sunt Scandia, Russia, Scotia, Hybernia, Polonia, Æthiopia.*

*Prodit hic sese non obscure Judaismus Grotij, quod nempe Judeis promissa fuerit mundana potestas, & gloria, sub certâ conditione, si Messiam suscepissent. Quem cum rejecerint, eam gloriam ad Christianos transiisse fingit. Ast, ubi, oblecrò, in sacris literis externa mundana gloria, si receperint Messiam, promissa legitur? ubi ob non susceptum Messiam à Judeis externa gloria illa ad Christianos translata dicitur? somnia ista sunt febrilia. Porro regnum illud, quod Sancti Dei altissimi suscepturi dicuntur, non est regnum Romanum, non aliud Mundanum, seu Russia, seu Scotiæ, seu Hyberniæ, seu Polonia, aut quodcunq; fingere libeat, sed est Imperium Mysticum, quod aperte hic à regnis mundanis distinguitur, & æternum esse asseritur vers. 18 & 27. Ideoq; de regno, quod hic inchoant fideles in regno gratiæ, olim autem consummaturo sunt in regno gloriæ, sub Rege Regum & Domino Dominantium Christo Jesu, hæc necessario accipienda sunt, & communi Interpretum consensu explicantur.*

VERS. 19. POST HOC VOLUI DILIGENTER DISCERE.

*Exactius discere.*

L

DE BE-



ANNOTATA  
DE BESTIA QUARTA

*Quia ea res maximè ad Judæos pertinebat, ideoq, specialius explicatur.*

Non hæc causa est, cur bestia quarta explicetur specialius, quod ad Judæos maximè eâ res pertineat, sed quia bestia illa valde terribilis & multa admiranda & tremenda de illâ dicta, tum quia Christianos & Ecclesiam Christi ea maximè attineant ac solatio omnium fidelium revelata sint.

QVÆ ERAT DISSIMILIS VALDE OMNIBUS.

*Vide supra 7.*

Vers. 20. ET DE CORNU ILLO

Id est, de cornu illo. *Nam ꝑ, hic ut alibi sæpe, est ἡ ἑνὴν ἰκθῦν.*

Vers. 12. ET ECCE CORNŪ ILLUD FACIEBAT BELLUM  
ADVERSUS SANCTOS.

*Id est, unius Dei cultores, quales eo tempore inter omnes populos soli erant Judæi. Confer. Apoc. XI, 7.*

Hæc non adversus Judæos, sed Christianos, qui regnum suscipiunt, geruntur, quia sub quartâ Monarchiâ, & post Judæorum excidium complementum habent. Procedant glossæ Grotianæ à præconceptâ hypothesi, quasi de Antiocho sermo sit, quam antea profligavimus.

DONEC VENIT ANTIQVVS DIERVVM.

*Benè cocta Dei Judicia.*

Hæc maximè diversa sunt. Per antiquum dierum Deus Pater intelligitur, non verò iudicia Dei benè cocta. Ille enim ob æternitatem ita describitur. Quis admittet antiquum dierum idem esse, quod bene cocta Judicia? Personam intelligi debere omnes *ἡ ἑνὴν ἰκθῦν*, quæ characteres personales multivarios exhibent, requirunt. Sed in re luculentâ non est, quod immoremur, ne soli lucem foenerari videamur. Mirari oportet glossas Grotij, tam non benè coctas.

ET JUDICIUM DEDIT SANCTIS EXCELSI

*Vindictam suam mandabit Judæis. Vide Ezech. XXXVIII  
18. & sequentibus XXXIX. ET TEM.*



AD DANIELEM CAP. VII.

ET TEMPUS ADVENIT, ET REGNUM OBTINUERVNI  
SANGTI.

*Et tempus veniet, cum sancti obtinebunt regnum: id est, eiectionis Antiochi militibus ipsi semet gubernabunt αὐτονομοὶ. αὐτοδικοὶ αὐτοελεῖς. ac præterea subigent Idumæam, samariam, Ammonitidis & Moabitidis multa. Testantur hoc Maccabæorum libri & Josophus. Prædixerant verò Esaias LXII. LXIII. Jerem. XXXI. Ezech. XXXVI. In hoc figura fuit imperij multò majoris, quod obtenturieant Christiani.*

De iudicio, quod dandum est Sanctis in novissimo die 1. Cor. VI. sermo est: quia agitur de iudicio universali & novissimo, de regno quod in æternum possidebunt, non verò de qualicunq; potestate, quam Maccabæi obtenturi sint. Et quomodo Maccabæis convenient illa v. 27. ET OMNES REGES SERVIENT EI, ET OBEDIENT! Alienas ergo Grotij glossas esse cæcus sit qui non videat. Gessisse verò Judæos in istis bellis Maccabæorum typum Christianorum, quo sodes, argumento docebitur? Neq; fas est pro lubitu fingere typos, sed monstrare eorum oportet in sacris vestigia.

Verf. 23. QVOD MAJVS ERIT OMNIBVS REGNIS.

*In Chaldaico: differet ab omnibus regnis: nempe ob majorem severitiam & impietatem.*

DEVORABIT VNIVERSAM TERRAM.

*Terra καὶ ἐξοχήν, est terra Israel, terræ Paron. isrl. patribus terra optimæ.*

Explicatur jam quarta bestia: quæ ἰζηγῆσις angeli quum non coveniat Alexandri successoribus, ad consuetam artem TORQVENDI verba Scripturæ, se convertit Grotius, per universam terram terram Israel, h. e. exiguam portionem terræ intelligi debere. Quamvis verò alias terra promissa καὶ ἐξοχήν terra diceretur, non tamen hic, ubi summa imperia mundi, & Monarchiæ inter se comparantur, talis ἐξοχήν ei competere potest; Quartæ ergo bestię potentia præ reliquis ita describitur, DEVORABIT VNIVERSAM TERRAM, quæ verò ejus esset præ reliquis ἐξοχήν, si solam Judæo-



rum terram superatura intelligeretur, quum per reliquas potentissimi orbis Monarchæ adumbrati sint. Et dicitur regnum illud *majus omnibus regnis*, quod ob *majorum sevitiam & impietatem* fieri putat Grotius. Sed comparatio docet magnitudinem potentia, aut si omnino vertendum, *differet ab omnibus regnis*, manifestum fuerit, non designari successores Alexandri, quia regnum prorsus diversum à prioribus indigitatur. Quapropter consentienti suffragio pleriq; omnes per quartam bestiam *Romanum Imperium* intelligunt, si paucos illos excipias, qui *Porphyrium Apostatam* hic sequuntur, quem etiam ducem elegit Grotius. Nam *Romanum Imperium* devoravit universam terram, quia ut ferrum omnia comminuit, ita, *Helvico* dicente Hist: univers pag. 54. *Romana potentia domitis & attritis omnibus, imperat per cunctas terra plagas, quæ quidem inaccessæ non sunt, sed ab hominibus habitantur, non solum intra columnas Herculis, verum etiam Oceano, quacung; est navigabilis, primaq; & solâ omni hominum memoriâ ortum & occasum terminos Imperij sui posuit, ausa orbis Imperium sibi sumere, dominium omnibus in terris constanter obtinet, nec est ulla gens, ut sic dicam, quæ non agnoscat universorum Dominam, aut detrectet ejus imperium, sicut inquit Dionys: Halicarn. lib. 1.* Porro hæc bestia quarta *terribilis, atq; mirabilis* admodum visa est, cui nullum tribuitur nomen, ut cæteris, quod monstrosa fuerit, in uno corpore plures diversorum animalium partes, quemadmodum *Apoc. XIII. 1. 2.* observantur præcedentium animalium partes diversæ, & conspicitur bestia *similis Pardo, habens os Leonis, pedes Ursi.* Quia conflata veluti est, hæc bestia quarta è prioribus & ferociâ, *potentiâq;* omnes superat, cujus crudelitas in *decem persecutionibus sub Ethnicis Imperatoribus*, ac postmodum in *persecutionibus AntiChristi* satis conspicua & notoria est. *Romanum regnum*, inquit Hieronymus, *nulli bestie comparavit: nisi fortè ut formidolosam faceret bestiam, vocabulum tacuit, quicquid ferocius cogitaverimus in bestiis, hoc Romanos intelligamus.* Hoc quod hic tacitum est, *Hebræi in Psalmis dictum putant: Devastavit eam Aper de sylvâ: & singularis feros depastus est eam. Pro quo in Hebræo habet: Omnes bestie agri laceraverunt eam: dum in uno*

Imp.



AD DANIELEM CAP. VII.

Imperio Romanorum omnia simul regna cognoscimus, quæ prius fuerunt separata: Illud autem quod sequitur: *Comedens atq; comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans*, significat omnes nationes, vel interfectas ab eis, vel tributo & servituti subjugatas. Diversas illas animalium formas nonnulli cum *Osiandro* ad formas Reipubl. varias in hoc imperio referunt. Initio enim habuit Reges, quibus ejectis constituta fuit Aristocratia, ut Res pub. per Senatum & Consules regeretur. Quæ forma postea iterum immutata est, ut Decemviri cum summâ potestate imperium tenerent, interea etiam admiscuerunt sese gubernationi Reipublicæ Tribuni plebis, ita ut Democratia cum Aristocratiâ sæpe luctaretur. Tandem per *Julium Cæsarem* constituta fuit *Monarchia Imperatorum Romanorum*, ultimò Papa Anti Christus Romanus sedem Imperij occupavit, & Romanos Imperatores quasi Vasallos suos fecit, atq; jus confirmandi Cæsaris Romani usurpavit. Quo facit distributio Imperij Romani in certos articulos apud Helvicum pag. 59. Primus à *Julio* ad *Constantinum M.* Anno æræ Christianæ CCCVIII. Qui primus pacem Ecclesiæ per totum orbem restituit; & sedem Imperij Constantinopolin transtulit, post cujus obitum etiam prima divisio Imperij facta inter ejus filios. Secundus à *Constantino* ad *Justinianum* anno DXXVII. sub quo finis est Consulum Romanorum, & promulgatio Juris Civilis. In hoc articulo facta divisio Imperij inter Theodosij filios altera, ubi non multò post *occidentale* imperium in Augustulo desit anno Christi CCCCLXXVI. Et paulò ante, sub Theodosio I. & II. Barbaricæ gentes magno numero passim imperium ceperunt dilacerare, ac diripere. Tertius à *Justiniano* ad *Carolum M.* & divisionem ultimam Imperij in Orientem & Occidentem anno Christi DCCC. à quo quartus in Germanorum Imperio Occidentali, etiamnum perdurat. Orientale Græcorum anno 1453. desit, captâ Constantinopoli à Turcis. Quartam Dynastiam Germanorum licet in plures particulas seu Dynastias subdividere. I. est Francorum, & præcipuè Karolidarum, usq; ad *Heinricum Aucupem* anno 920. II. Saxonum ab *Heinrico Aucupe*, ad *Conradum secundum Salicum* anno M. XXIV. III. Rursus Francorum à *Conrado Salico Secundo* ad *Conradum tertium* anno



ANNOTATA

MCXXXVIII. IV. A Conrado Tertio Suevorum Dynastâ, usq; ad Rodolphum Habsburgicum anno MCCLXXIII. His temporibus septem Electores constitutos circa annum MCCL. sentiunt acuratioribus Chronologi. V. Eorum, qui ab Electoribus constituti sunt, (Austriacorum ut plurimum) à Rudolfo primo ad Leopoldum I. Modernum Imperatorem Augustum, cujus Imperio Dominus Jesus ad nominis sui glorificationem, & regni gratiæ conservationem, ac propagationem gratiosissimè benedicat?

Ulterius FORTISSIMA fuit hæc bestia. Maxima enim fuit Romanorum potentia. DENTES FERREOS HABEBAT MAGNOS COMEDENS AC COMMINUENS, quæcunq; morſu apprehenderet. ET RELIQUA PEDIBUS SUIS CONCULCANS. Romani enim ferro horribiliter grassati sunt in alias gentes, & plus sanguinis humani per hanc Monarchiam, quam per ullam aliam fufum est, sed & reliqua regna violenter conculcavit & attrivit, quemadmodum Historiæ testantur: Romana enim potentia primum quidem Asiam minorem sub potestatem suam redegit, victo Antiocho Magno Liv. l. XXXVII. Just. l. XXXI. Deinde Macedoniam, victo Perſeo annis CLVI. à morte Alexandri. Postea Syriam, victo Tigrahe à Pompejo annis CCLX. circiter à morte Alexand. Liv. Plut. Just. Ulterius Ægyptum, quam primus occupavit Julius Cæsar, victo Rege Ptolemæo, Dionysio, concessio tamen regno Cleopatræ sorori ejus. Octavius autem Augustus, victo Antonio, & Cleopatra redegit in provinciam, Plutarcho teste &c. Facit huc, quod non absimili modo, ut bestia quarta, describatur Romanus Anti-Christus in Apocalypſi Johanneâ, utpote qui sedem Imperij Romani occupaturus erat, & axiomata Imperij sibi vendicaturus, & Imperatores Romanos sibi subiecturus: Vid. Apoc. XIII. 1. 2. cap. XVII. 10. 18. Quapropter non immerito collationem instituit hic B. Gesnerus cum locis Apocalypſicis, & ex eâ demonstrat, quod hoc animal non sit typus regni Seleucidarum in Asiâ, ut Propyrius insanivit, (& cum eo Grotius) sed Monarchia Romana, siquidem Apoc. XVII. explicatur: septem capita sunt septem montes, ubi mulier sedet, quæ meretrix Babylonica bestie huic inequitans, civitas magna,



*tenet Imperium in Reges terræ.* Eo enim tempore, quo sanctus Johannes ista scribebat, nulla profecto civitas alia in toto terrarum orbe Dominium obtinebat in Reges terræ, quàm urbs Romana, unde inevitabili consequentiâ concluditur, *Istam bestiam cui meretrix Babylonica insidet, esse Romanum Imperium; nec aliam urbem, quàm hanc designant* *ἡ ἑπτὰ ὄρεσιν* de septem montibus, siquidem constat Romanam urbem ante Gothicas & Vandalicas devastationes septem montes suo ambitu comprehendisse.

Vers. 25.

AD TEMPUS ET TEMPORA, ET DIMIDIUM TEMPORIS.

*Quod hic habemus Chaldaicè, idem habemus Hebraicè infra XII. 7.*

Arripit hæc Grotius ad Antiochum. Sed temerè, uti hactenus demonstratum. Nunc in calculum etiam Prophetæ minus æquus est, ac si *Propheta modicum non curet.* Quemadmodum id vulgo de *Prætoribus* dicitur. At Prophetæ noster accuratus omnino est in designando tempore. Cum de Antiochi prophanatione agit c. II. 18. numerat dies *bis mille, trecentos, qui annos sex efficiunt, quibus Sacerdotium prophanatum esse, ibidem Grotius ipse agnovit.* Quos vero ex hâc præsentis temporis & temporum, & dimidij temporis designatione exsculpere non poterit. Nam etiam si per tempus annum, per tempora biennium, per dimidium temporis semestre intelligamus, prodeunt tantum *tres cum dimidio anno.* Neq; facit huc locus c. XII. 11. Nam nec ibi *triennium cum dimidio* designatur, sed dies 1290. exprimuntur, & *communes dies* intelligendos ibi esse, haud apparet. Neq; enim additur *ἡ ἑπτὰ ὄρεσιν* illa, quâ spatium *νυχθημέριον* designavit Prophetæ c. II. 14. Dies hoc modo definiens, *usq; ad vesperam & mane frustra* ergò hæc conferuntur, ceu *ἡ ἑπτὰ ὄρεσιν*.

## CAPIT VIL.

*Hinc rursus incipit sermo Hebraus, quia quæ sequuntur, ad Hebræos directè pertinent, cum ea, quæ præcesserunt, sufficerent ad Chaldaeos instruendos. Itaq; præteritis jam rebus Chaldaeorum tantum de imperiis & rebus agit post ruinam*  
Calde-



*Chaldaici imperij exstituris. Sapius autem res easdem Deus ostendit Danieli. Primum quo ea res haberent animo firmitus. Quam ob causam & magistri apud Discipulos ea sæpè repetunt Quæ maximi usus esse existimant: deinde quod paulatim res eas cognoscit, velut distinctius, cum suis circumstantiis. Quod Deum & in aliis Prophetis fecisse apparet.*

Non hic res eadem exhibentur, quæ præcedenti capite. Nam illa pertinebant ad totum orbem, & omnes quatuor Monarchias concernebant, usq; ad novissimum Judicium. Quæ autem sequuntur hoc capite, concernunt cum primis populum Judaicum: Quæ sors eorum futura ante Romanum imperium, & adventum Messia, sub tertiâ Monarchiâ, ne desperarent scilicet in tantis calamitatibus de promissionibus de Messia factis, ut rectè observavit B. Lutherus in præfatione hujus Prophetæ.

Vers. 3. HABENS CORNUA EXCELSA.

*In Hebræo, quo nos utimur, est forma dualis. At Josephus pluraliter legit: ait enim κέρα εἰς πνεύματα πόδα: & id re-ctius. Multi enim Reges fuere, qui hic per cornua indicantur.*

Perperam corrigitur Ebræus textus è Josepho, Scriptura Canonica è libro humano. Nec sine causa dualis numerus adhibitus est, quia per duo illa Arietis cornua regna duo Medorum & Persarum significantur; non verò Reges in secundâ Monarchiâ sibi succedentes. In quo pleriq; Interpretes conveniunt; quod nempe ob geminum regnum Medicum, & Persicum aries bicornis sit. Ita exponitur ab ipso angelo v. 26. ubi duo cornua arietis iterum expressa sunt (etsi & ibi ausit Grotius, quæ hominis fuit temeritas, textum *vobéias* arguere, atq; emendare) & explicata sunt de Regibus Medorum atq; Persarum. Quem sensum porrò confirmant etiam verba sequentia.

ET UNUM EXCELSIUS ALTERO, ATQUE SUCCRESCENS.

*Verte: Primum celsius erat secundo, & excelsius (illo) id quod attollebatur. Nam primum Cyrus maximus sibi opes pepere-*



AD DANIELEM

pepererat, plusquam successores. Cyrus devictâ Asiâ (ait Plinius) pondo XXXIV. millia invenerat, inter vasa aurea, aurumq; factum, & in eo folia ac platanum, vitemq;. Quâ victoria argenti 120. millia talentorum reportavit, & craterem Semiramidis, cujus pondus XV. talentorum colligebat. Talentum autem Ægyptium pondo LXXX. patere Varro tradit. Postremus regum Persarum fuit Darius Codomannus. Is præter quod in aliis urbibus fuit in solâ Persepoli habuit CXX. millia talentorum: Persagadis sex millia, Curtio teste. At Strabo libro XV. Persepoli & Susis reperta ait XL. aut ut alij volunt, L. millia talentorum: Ab aliis tradi Ecbatani fuisse comportata ex variis imperij Persici locis LXXX. millia talentorum. VIII. millia direpta ab ijs qui Darium occiderunt. opes sane mirandas.

HIRCUS CAPRARUM.

Hircus de caprugno genere. Hircus rapaces significat Achmeti CCXLII. Hircus hic omnes Græcos significat, quoniam portio Macedonis. Respondet ergo hircus hic & ventri & cruribus statuae item pardo & fera quarta.

Hæc Grotius τῆς ἑποθέσει δὲ λέων. Negamus autem hircum & ventri, & cruribus statuae. item Pardo & Fera quarta respondere. Ventri solum respondet, & Pardo, at crura statuae, & feram quartam pertinere ad quartam Monarchiam significandam, antea ostendimus. Porphyrium in eo sequutus est Grotius: de quo Hieronymus ad Cap. VII. Porphyrius duas posteriores bestias Macedonum & Romanorum, in uno Macedonum regno ponit, & dividit: Pardum volens intelligi ipsum Alexandrum: bestiam autem dissimilem ceteris bestiis quatuor Alexandri successores, & deinde usq; ad Antiochum Epiphanem cognomento decem Reges numerat, qui fuerunt sevisissimi: ipsosq; Reges non unius ponit Regni; verbi gratia, Macedonia, Syria, Asia, & Ægypti, sed de diversis regnis unum efficit Regum ordinem.

VENIEBAT AB OCCIDENTE.

Respectu Persidis.

M

ET



ANNOTATA

ET ORTA SUNT QUATUOR CORNUA SUPER  
ILLUD IN QUATUOR VENTOS COELI.

*Etiam hic primos illos quatuor duces intelligit, qui sub nomine filiorum & fratrum Alexandri, rerum summam ad se traxere: Unde postea orta sunt regna, tum alia tum præcipue Syria & Ægypti illi duces ad as, Hi Reges ad ferrum ac testam pertinent: Illi sunt cornua Pardi: Hi bestia quarta.*

Recurrit prior error, Regnum enim Syria & Ægypti non ad ferrum & testam, aut ad bestiam quartam pertinet, sed ad æs & ad tertiam bestiam, vel Pardum quadricipitem, & Ἰερεὶν ἑγγυ, & ad Hircum quadricornem. Cornua illa quatuor Hirci, & capita quatuor Pardi, non primos quatuor Duces Alexandri, sed quatuor regna principalia notant; Quæ post obitum Alexandri enata sunt ex ejus Imperio, utpote Syriacum, Ægyptiacum, Macedonicum, Asiaticum, interprete Ipso Daniele Cap. IIX. 27. Confer Polyb. lib. V. Recensent quidem Curtius & Justinus plures satrapias, pro ducum scilicet numero, at certum est quatuor illas præcipuas fuisse, sicut & Josephus tantum Syria, Ægypti, Macedonia, Asia, Helleponti Dynastas tanquam potiores enumerat, quibus in mutua bella ruentibus ceteri se adjunxerunt, atq; ita paulatim absumpti fuerunt. Audiamus & Hieronymum, qui, cornu, inquit, grande, ipse est Rex primus Alexander, quo tricesimo secundo ætatis sue anno mortuo in Babylone, surrexerunt pro eo quatuor duces ejus, qui sibi Imperium diviserunt. Ægyptum enim Ptolemæus Lagi filius tenuit. Macedonas Philippus, qui & Andæus frater Alexandri, Syriam & Babylonem & omnia regna orientis Seleucus Nicanor: Asia regnavit Antigonus.

Vers. II. ET USQUE AD PRINCIPEM FORTITUDINIS  
MAGNIFICATUM EST.

*Extulit se etiam contra exercitus ejus principem: Oniam scilicet, sacerdotem maximum, quem primum dignitate exiit: Sacerdotium autem summum pretio vendidit II. Macc. IV.*

Per Principem fortitudinis rectius intelligit Deum Hieronymus, quem pleriq; alij sequuntur. Locus integer dignus est, qui

ch:



AD DANIELEM CAP. VIII.

hic legatur: ET POST REGNUM EORUM *consurget Antiochus* ἐπιφάνης filius Seleuci, qui & Philopator appellatus est. Qui cum obses fuisset Romæ & nesciente Senatu, per dolum cepisset Imperium, contra Ptolæmeum Philometora dimicavit, hoc est, contra meridiem & contra Ægyptios. Rursumq; ad orientem contra eos, qui res novas in Perside moliebantur, ad extremum contra Judæos dimicans: captâ Judæâ ingressus est Hierosolymam: & in templo Dei simulacrum Jovis Olympij statuit: & usq; ad fortitudinem cœli, id est, filios Israel, qui angelorum vallabantur auxilio, erexit magnificentiam suam: Ita ut de Sanctis plurimos Idololatriæ subjiceret, & velut stellas cœli conculcasset pedibus suis. Atq; ita factum est, ut & meridiem & orientem, id est, Ægyptum & Persidem suo teneret imperio. Quodq; ait: usq; ad Principem fortitudinis magnificatus est: hoc significat, quod erectus sit contra Deum, & sanctos illius persecutus sit, & tulerit ἐνδειλισμὸν, id est, iuge sacrificium, quod mane offerebatur & vespere, & polluerit atq; dejecerit locum sanctificationis ejus. Et hoc non suâ virtute, sed propter peccata populi. Atq; ita factum est, ut veritas prosterneretur in terram: Et cultu Idolorum florente, DEi religio conquiesceret.

ALTERI NESICIO CUI.

Τὴν ἰσότη, Symmachus LXX. Aquila, Theodotio, Clemens constitutionum VII, 36. retinuere Hebræum Φελμονὶ vel Φελμοι-νί, compositum id putatur, ex duob; nominibus פלני & מני, que habet Ruth. IV. 1. & Reg. VI. 1. videtur autem significari, non quivis, sed eximius aliquis. Et hic Angelus necesse est præstiterit cæteris, cum alios doceat.

Melior B. Gesnero videtur Thes. 80. aliorum sententia, qui nomen Palmoni compositum esse volunt ex Pele, quod mirabilem significat, & Meneh quod numerare est, ut Palmoni idem sit; quod mirabilis temporum partitor, qui inscrutabili suâ sapientiâ ortus, & periodos regnorum innumerato habet. Atq; hæc explicatio præsentī loco convenit, quando quidem iste Palmoni Angelo sciscitanti durationem tyrannicæ persecutionis, sub Antiocho futuræ, eandem enumerat. Et cum Filius DEI Esa. IX. quoq; vocetur Pele, Mirabilis, consentaneum est, eundem hoc



ANNOTATA

loco futura Angelo prædicere, præsertim cum solius Dei sit, futuras imperiorum, temporumq; mutationes præscire, & prænunciare *Esa. XLVI. 10. Matth. XXIV. 36.*

Vers. 14. ET DIXIT EI USQUE AD VESPERAM ET MANE.

*Id est, usq; ad  $\nu\chi\theta\eta\mu\epsilon\rho\alpha$ . Nam Hebræi, cum compositas voces vix ullas habeant, coguntur uti circumlocutione. Vide *Gen. I. 5. & sequentibus, & quæ dicta ad Matth. XII, 40.**

DIES DUO MILLE TRECENTI.

*Bis mille & trecenti Hoc tempus, sex circiter annorum, incipit à primo adventu Antiochi in Judæam, cum sacerdotium profanatum est, comprehenditq;. Secundum ejus adventum, interdictos ritus, deinde idoli collocationem in templo, & totum tempus interrupti jugis Sacrificij.*

ET MUNDABITUR SANCTUARIUM.

*Id est, illo spatio temporis exacto, à primo Antiochi adventu, repurgabitur templum, fiet  $\epsilon\gamma\kappa\alpha\nu\iota\sigma\mu\omicron\varsigma$ , de quo vide *1. Macc. IV. Joseph. XII. 10. & quæ diximus Job. x. 22. Nota  $\text{מְדַבֵּר}$  sæpè poni pro mundare.**

De hoc tempore ita habet B. Gesnerus: Dies 2300 efficiunt annos sex, tres menses & viginti: dies, quod spatium exactè cum historia Antiochi convenit. Ille enim per C. Popilium ex Ægypto pulsus Hierosolymam primum venit anno Imperij Græcorum 143. ut scriptum est *1. Mac. I. 21. templumq; spoliavit & divinum cultum librosq; Biblicos abrogavit, ibidem v. 51. Mortuus autem est Babylo- ni. Ann. 149. Monarchia Græcorum, ut annotatum extat *1. Macc. VI. 16. qui annus incidit in annum à mundo condito 3840. Estq; ante Christum natum 161. Hoc itaq; sexennali tempore ab immanissimi hostis crudelitate Judæi liberati sunt.**

Vers. 15. CUM VIDEREM,

*Vidissem.*

ET QUÆREREM INTELLIGENTIAM.

*Explicationem pleniorum.*

QUASI SPECIES VIRI.

*Angeli enim hominum specie solent apparere, quia in-  
ter*



AD DANIELEM CAP.VII.

ter ea, quae nobis conspicua sunt, nihil est, quod ad illos propius accedat. Hunc Angelum fuisse Michaelem Principem Angelorum, credunt Hebraei. Et certè credibile id est, quando & Gabrieli rerum semper maximarum nuntio imperat.

Omnia ista sunt Rabbinico-Papistica de Michaele Principe angelorum, imperante Gabrieli, Duce vel Praeside populi Ebraici: De quibus scriptura nihil novit. Michaëlem autem Principem exercitus Domini esse *Filium DEI* ex collatione locorum nonnullorum Nostrates colligunt: vide imprimis *Apoc. XII.* Et virum sanè istum, qui hic apparuit, eundem esse, qui *Dan. X. 5.* Prophetæ iterum visus prolixè describitur, quem verò fuisse Christum, è collatione *Apoc. I. 13. seqq.* minimè obscurum est. Quo faciunt etiam, quæ ad vers. 3. observata è Gesnero. Deniq; accedit his, quod angelus Gabriel hunc virum veneretur, atq; obsequium præstet, imo ab eo discat res futuras. Quod iterum B. Gesnerus rectè observavit *Thef. 101.* Notetur hic incomparabile discrimen inter Christum, & sanctos angelos. Nam angelus *Filium DEI*, qui *Palmoni* dicitur, adorat, & ex illo, tanquam *substantiali sapientiâ aeterni Patris Prov. 8.* qui etiam *Consiliarius Dei*, & *admirabilis* vocatur *Esa. IX.* oraculum de persecutione in *Judaicum* populum *grassatura* sciscitatur. Hinc *Psal. XCVII.* scriptum est: *Adorent eum omnes Angeli*, & *Ebr. I. 4.* *Tanto melior factus est angelis, quanto præstantius præ illis nomen hereditario jure accepit.*

Vers. 20. ARIES QUEM VIDISTI HABERE  
CORNUA.

*Aries ille cornifer.* Etiam hic in Hebræo est duale, ut supra: sed melius ut ante diximus, videtur esse, ut legamus pluraliter. Consonantes omnes sunt eadem, utrovis modo legas. Vocales pridem variant.

Hunc prurimum corrigendi Ebraicam Veritatem castigavimus ad vers. 3.

IPSE EST REX PRIMUS

*Primus Græcorum Rex in Asia. neq; alio spectant omnia*

M 3

hæc



*hæc vaticinia, Hebræo sermone à Daniele scripta, quæ ad Judæam diriguntur omnia.*

Si rationem expressam his verbis velit, cur ad Judæos omnia spectent hæc vaticinia, quia Ebræo Idiomate scripta sunt, ratio illa nulla est. Multo enim Ebræo Idiomate scripta sunt, quæ non ad Ebræos, sed ad alios populos spectant. Sed & fallum est, omnia Ebraico sermone à Daniele exposita vaticinia ad Judæos pertinere. Contrarium è *Dan. XI. & XII. cap.* constabit.

Verf. 22. QUATUOR REGES

*In Hebræo, regna: idest, Ducum potentia. Nempe sæpe vox מלך sic sumitur apud Hebræos, Deut. XXXIII. 5. Jud. XVIII. 31. Cap. XXI. 24. II. Reg. III. 9. & alibi.*

Non tantum *Duces*, aut *Ducum potentias*, sed ut verbum Ebræum sonat, *regna* indigitari, ex iis quæ ad verf. 8. observavimus, patere potest.

Verf. 25. ET CONTRA PRINCIPES CONSURGET.

*In Hebræo: Stabit super principem principum, מריש dicuntur omnes principes familiarum Sacerdotalium, ut Ebr. VIII. 24. 25. X. 5. Horum Princeps summus Sacerdos. Hinc sibi subjiciet Antiochus. Dimovebit pro lubitu, spretâ divinâ lege.*

Rectiùs alij *Deum per principem Principum*, quem alias *Regem Regum*, *Dominum Dominorum* Scriptura vocat *1. Tim. VI.* intelligunt, quia principatum habet super omnes principes mundi, non modò creationis jure, sed distribuit etiam regna mundi *αὐτεξουσίως* & pro lubitu *Dan. II.* deniq; absq; omni negotio universos tyrannos debellare & extirpare potest. Quum enim expositum fuerit, qualem se *Epiphanes* erga homines exhibiturus sit, indicatur nunc, qualis futurus sit *in Deum*. Cujus cultum & sacra omnia abolere conatus est.

CAP.



## CAPIT IX.

Vers. 3.

ET POSUI FACIEM MEAM AD DOMINUM DEUM ME-  
UM ROGARE ET DEPRECARI.

*Ad Dominum, id est, versus templum. Ut supra VI.  
20. Promissus quidem erat reditus post annos LXX. Sed ita,  
si se, exules Judæi ad Deum converterent. Quare Daniel  
quod suarum est partium, facit & idem faciendi, aliis au-  
tor est.*

Non apparet ex locis *Propheticis Jer. XXV. u. 12. c. XXIX. 10.*  
promissionem liberationis è captivitate *Babylonicâ* hypotheticam  
fuisse, factam sub illâ conditione, si ad Deum se exules converte-  
rint. Quia simpliciter *Jer. c. XXV.* minatur, LXX. annos popu-  
lum servituum Regi *Babylonico* simpliciter promittit *c. XXIX. 10.*  
Dominum visitaturum populum, finitis LXX. captivitatis annis.  
Quæ verò deinde *v. 14. cap. XXIX. Jeremiæ* subjunguntur de colle-  
ctione universali ex omnibus populis, eam anexam habere con-  
ditionem, non diffitemur: quæ *promissio* distinguenda videtur ab  
*ipsâ solutione captivitatis Babylonice* propter promissa.

Vers. 5.

PECCAVIMUS, INIQUITATEM FECIMUS, IMPIE EGI-  
MUS ET RECESSIMUS, ET DECLINAVIMUS A MAN-  
DATIS TUIS ET JUDICIIS.

*Hieronymus hîc: peccata populi (quia unus è populo  
est, numerat ex persona sua, quod & Apostolum in Epistola  
ad Romanos fecisse legimus, nempe capite septimo.*

*Apostolum Rom. VII. non ex personâ aliorum, sed propriâ  
loqui adversus Pelagianos & Socinianos in Theolog. Apost. Rom.  
ad c. 7. evicimus, quibus hîc velificari videtur Grotius. Neque  
hoc loco excludendus est Daniel è numero peccatorum. A-  
gnoscat peccata, & confiteretur verâ poenitentiam; neque id mo-  
dò pro populo, & ex personâ populi, sed etiam ex propriâ personâ:  
Se minimè excludens è transgressorum numero, quod non  
humilitatis esset, sed includens, ut è vers. 10. manifestum est. Rectè*

ergo



ANNOTATA AD DANIELEM CAP. IX.

ergo hîc B. Gesnerus notat th. XCVII. Licet Daniel vir esset Sanctissimus, adeò ut Deus ipsum justissimo Noë & Jobo annumeret: Nihilominus tamen in promiscuo peccatorum cumulo se complectitur, dum ait, se non modo populi sui, sed etiam sua peccata Deo confessum esse. Pudeat ergò Pontificios, qui de integritate obedientiæ hominum renatorum adeò gloriari non erubescunt ut, sess. 5. Concil. Trid. Anathema in illos decreverint, qui concupiscentiam in renatis à Paulo ad Rom. VII. peccatum propriè appellatum esse sentiant. Huic autem impio Pelagianorum dogmati August. lib. III. contra lit. Petil. cap. præsentem Danielis locum validissimè opponit, cujus hæc sunt verba: *Vir justissimus unus ex tribus memorabilibus orat & dicit: Cum orarem & confiterer peccata mea &c. Et tu te dicis esse sine peccato? Sic ille.*

Verf. 7. TIBI DOMINE JUSTITIA.

*Id est, laus Justitiæ debetur. Sic infra misericordia, id est, laus misericordiæ.*

NOBIS AUTEM CONFUSIO FACIÆ, QUALIS EST HODIE.

*Nobis debebatur ignominia, quam patimur.*

Verf. 9. QUIA REBELLES FUIMUS IN EVM.

*Occurrit tacitæ objectioni. Quomodo misericors, qui tantis malis populum tradidit? responsio est: extortum hoc ipsi per nimiam populi contumaciam.*

Verf. II. OMNIS ISRAEL.

*Plurimi. Sicut Psalm. XIV. 3. Rom. III. 12.*

In locis, quæ hic conferuntur, de omnibus universim, non de plurimis solum agitur, quod in Vindicijs eorum ad Psalm. XIV. 3. Rom. III. 12. evicimus. Nec aliter hoc loco. Nam utut parili culpæ obnoxij non fuerint omnes Israelitæ, nemo tamen eorum culpæ prorsus expers fuit. Omnes Sancti tenentur

*petere remissionem peccatorum.*

*Psalm. XXXII.*



05 A 1918

ULB Halle

3

003 785 009




VDA











I. N. J.

# ANNOTATA AD DANIELEM.

## CAPIT VII.

Vers. 2. ET ECCE QUATUOR VENTI COELI.  
*Ingentis tempestatis descriptio. Per tempestatem a. bel-  
la intellige.*

### IN MARI MAGNO.

*Idest, non in lacu aliquo, qualis Asphaltites & Genezere-  
thanus, quæ maria vocant accole: sed in mari illo, quod Syri-  
am, Egyptum, Judæam alluit. Per mare populos intel-  
lige, ut Apoc. XVII. 15.*

**R**ECTÈ hæc exposuit B. Gesnerus Disp. VII. 17. 27. Per ven-  
tos Theodoretus, & alij seditioes, & tumultus intelligunt,  
eo quod ortum omnium regnorum & imperiorum ma-  
gnæ turbæ antecesserunt, sed cum venti mare commove-  
ant, quæ commotio turbarum & seditiois symbolum est: Ideo  
venti, qui eam efficiunt, non possunt ipsam denotare. Nam ut ven-  
ti & fluctus sive procellæ immixtæ differunt, tanquam causa & effe-  
ctus Matth. IX. Ita necesse est, ut causa turbarum per ventos  
adumbrata sit. Commodissimum proinde est, ut per ventos  
intelligamus diabolos, & eorum instrumenta impios homines, quo-  
rum studiis & machinationibus motus, bella, & seditioes in Impe-  
riis concitantur. Unde etiam peccata prorumpunt, propter quæ  
regnum de gente in gentem transfertur. Sicut Symcides cap. X.  
ait: Regnum à gente unâ ad alteram traducitur propter injustè facta,  
& contumelias & divitias injustè partas. Hæc certè à Diabolo sunt,  
H & pro-

2  
Disputatio  
Publica,  
Respondens  
M. CASPA-  
Schön/  
Eperienfi  
Hungaro.

